

149

idem esse existimo, ac *praefectura* seu *praepositura* legionis, quæ, ut diximus, haud infrequenter in antiquis Inscriptionibus occurrunt.

ACCIA M. F. FABVLLA. M. Fabii filia, non Fabia, ut par erat, verum Accia a matris nomine dicitur, paterno nomine in diminutivum cognomen assumpto. Hinc intelligimus Acciam Fabullam ab avo materno M. Accio adoptatam fuisse. Idem profecto existimandum videtur de aliis feminis, quæ a matre gentilium nomen accipiunt in Fabrett. Inscr. Dom. Cap. III. p. 173.

L I X. L X.

Utrumque Inscriptionem edidit Cl. Fabrettus Inscr. Dom. Cap. III. n. 123., & 125. Longe accuratius exemplar eruditorum oculis subjecimus.

Tribus, & patria militum ablato casu in vetustis Inscriptionibus plerumque ponuntur, genitivo tamen in horum lapidum altero n. LX. minus eleganter efferuntur.

MIL. COH. VII. PR. Sponius antiquit. Lugudunen. Cap. VIII. nonnullas sepulcrales Inscriptiones attulit, militum Coh. XIII. Urbanæ, Lugduni repertas; inde coniecit eam cohortem Lugduni aliquando stativa habuisse. Sed res illi impune non fuit, nam Cl. Fabrettus Inscr. Dom. cap. III. p. 130. acriter Sponium corripit, statuens *facilius & planius esse concipere milites Urbanos numerosa, nec minus quam millenaria cohortis in provinciâ illâ mortem obiisse*. Tamen ne inficetus ero, si vel universam VII. Prætoriam cohortem, vel aliquam saltem illius partem stationem Pisauri habuisse contendam? Augustus equidem, ut Svetonius testatur Cap. 32. militum stationes per Italiam disposuit. *Grassatores dispositis per loca opportuna stationibus inhibuit*. Tiberius eod. Sveton. teste Cap. 36. *Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit*. Jam vero eos milites, quos demum stationarios a stationibus, in quibus degebant, dictos voluit G. Panciroll. de Magistratibus Municip. cap. XVIII. ex Prætoriis potissimum cohortibus lectos fuisse facile mihi persuadeo. Etenim ii milites, qui per Italiam distribuebantur, in Præfæti Prætorio potestate erant, ut constat ex oratione Mæcenatis ad Augustum Dion. lib. LII., quâ Dionem ea, quæ Romani Imperatores statuerunt, complexum fuisse, nemini est dubium. *Proinde, inquit Mæcenas, duos quosdam præstantissimos satellitio tuo præficiet....*
impe-